



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten

Calino, Cesare

Augspurg ; Graez, 1744

VD18 80280064

Dominica I. Quadragesimæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49389)

4.

Tradetur enim gentibus. Luc. 18.

Hoc nempe deerat ad Christi ignominiam, ut non sufficeret maximis injuriis absque ullo Dei timore eum affici à popularibus suis, quibus benefecerat: necesse videbatur in participium sceleris hominem etiam gentilem trahere, & quidem per importunitatem; erat enim Pilatus conscientiae delicatioris: sed tamen Judæorum tumultu commotus timuit, & innocentem Christum damnavit. Execrabilis timor, qui homines magis, quàm Deum timet. *Mense XII. Disc. 336. pag. 2.*

5.

Domine, ut videam. Luc. 8.

Bacchanaliorum insana gaudia multorum oculos fascinant, ut nec sua, nec aliena damna agnoscant: *Excæcavit illos malitia eorum. Sap. 2. v. 21.* Itaque vel nihil de scandalo cogitant, vel paucis forte se nocituros putant. Verùm non intra paucos consistere potest, sed & latè propagatur, & diutissimè perseverat. *Mense IV. Disc. 93. pag. 26. à num. 7. ad fin.*

DOMINICA I.
QUADRAGESIMÆ.

1.

Ductus est JESUS in desertum à spiritu.
Matth. 4.

Hodierno Evangelio docente JESUS in desertum exivit, jejunio præmissa paraturus se ad prædi-

prædicationis officium inchoandum: nos hodie considerabimus Jesum exeuntem in hortum Getsemani ad inchoandam suam passionem. Comitemur eum illuc, & videbimus, quanto nobis honori sit cum Christo aliquid pati. *Mense XI. Disc. 315. pag. 172. usque ad num. 11.*

2.

Ductus est JESUS in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo. Matth. 4.

Cùm diabolus suas in Christum jejunantem tentationes nihil effecisse videret, misit in cor Judæ, ut eum traderet hostibus: imò etiam obsedit Judam: nam post buccellam sacrilegè sumptam intravit in eum Sathanas. Considerabimus hac Quadragesima Christum à discipulis negatum & proditum, ab ethnicis frustra defensum, ab amicis & popularibus ad crucem compulsum. Agmen ducat perfidus Judas. *Mense XI. Disc. 323. pag. 229. usque ad num. 16.*

3.

Si Filius Dei es, Matth. 4.

Ad impudentiam usque progreditur tentatoris superbia, dum tam multa imperare ausus est Christo, quem tamen suspicatur esse filium Dei: imò etiam adorationem ab ipso expetit per summam injuriam: at Christus non ipsum increpat aut momento ad tartara præcipitat, sed mansuetè respondit. Sicut Christus occurrit diabolo, ita etiam ministris ejus Judæis & Sacerdotibus,

bus, quorum injurias maxima humanitate excepit. *Mense XI. Disc. 320. pag. 277.*

4.

Ductus est JESUS in desertum à spiritu, ut tentaretur à diabolo. Matth. 4.

Duxit JESUM Spiritus Sanctus in desertum, ubi hunc ad tendendum malignus spiritus inveniret. S. Greg. Hom. 16. in Evang. Ducitur jam Salvator & trahitur ab amore humani generis ad mortem, ut crucifigatur à membris diaboli. *Se ab illo permisit in montem duci tentandus, qui se pertulit etiam à membris illius crucifigi.* S. Greg. l. c. Exuerant illum vestibus suis, operuerant chlamyde coccineâ: jam damnato restituumt vestimenta, ut ea denuo cum vita exuat. Imitemur Christum, vestimenta ignominiae exeundo, justitiae induendo, priusquam moriamur: *Induimini Dominum JESUM Christum. Rom. 13. v. 14. Mense XII. Disc. 338. pag. 34.*

5.

DOMINUM DEUM tuum adorabis, & illi soli servies. Matth. 4.

Affligitur Christus in horto, & in afflictione sua fugit ad remedium orationis, qua nullum certius in calamitate. Discamus ergo orationis & necessitatem, & modum exemplo Christi. *Mense XI. Disc. 317. pag. 210.*

DOMI-